



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Prvdentia Et Cæteris In Confessario requisitis ad ritè  
fructuoséque Diuini ministerij sui munera obeunda,  
Tractatvs**

**Regnault, Valère**

**Lvgdvni, 1611**

Totivs Libri Argvmentvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41341**



# TOTIVS LIBRI ARGVMENTVM.



**V**M in iudicio pœnitentialis fori non tam agatur, vt pœnitēs tamquam reus puniatur, quàm vt emendetur, iuxta illud à Domino dictum Ioan. 3. *Non*

*misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum. sed vt mundus saluetur per ipsum.* a Confessarius in illo exercendo sustinet partes non modò Iudicis, sed etiam Medici: sicut peccata non modò sunt reatus, & debita; sed etiam læthales morbi, & grauissima vulnera animæ inflicta: Idcirco vltra scientiam iudicalem b seu requisitam ad sententiam ferendam in pœnitentiali foro, necessaria est illi scientia medica, prout Nauar. c appellat: idem significans quod alij, cùm dicunt præter scientiam speculatiuam, requiri in Confessario practicam; aut præter scientiam, requiri prudentiam. Id quod habetur ex cap. Omnis veriùsque sexus, de pœnitent. & remiss. cùm in §. sacerdos. lic dicitur. d *Sacerdos autē sit discretus, & cautus; vt more periti Medici superfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere: diuersis experimen-*

a Confessarius exercet partes Iudicis & Medici.

b De qua postea in part. 3. c. 22. paucis. c De pœnitent. dist. 6. cap. 1. §. caueat. nu. 32.

d Confessarius vt prudens Medicus se gerere debet.



*is utendo ad saluandum egrotum.* Ex quibus verbis licet adhuc intelligere eā de qua agimus, siue scientiam medicinalem, siue scientiam practicam, siue prudentiam, generaliter consistere in industria, qua debet Cōfessarius cum Pœnitente tractare, dum munera ministerij sui exequitur in administratione Sacramenti pœnitentiæ; atque adeo ipsam esse variam, pro eorundem munerum varietate: quæ qualis sit, sic accipe cū in ipsa administratione Sacramenti pœnitentiæ Cōfessarius obeat munus tum Iudicis à Christo constituti in pœnitentiā foro; tum patris spiritualis, vt Christi adiutoris ad faciendos ex filiis diaboli, filios Dei: seu, vt habet Euangelista, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*: tum etiam Medici animarum ad eas conseruandas & promouendas in diuina gratia & virtutibus, tamquam vita & sanitate spiritali: tum demum Magistri qui easdem dirigit in vita ipsa spiritali.

Ex officio Iudicis incumbit illi primariò quidē, munus absoluendi à peccatis, & ligandi ad pœnam pro eis imponendā in satisfactione: secundariò verò, seu in ordine ad primariū prædictū incūbit illi, primò munus audiendi confessionem Pœnitentis, secundò munus eundem Pœnitentem interrogationibus iuuandi, ad plenè & integrè aperiendam conscientiam suam, totūque animæ suæ statum patefaciendum.

Munus Cōfessarij vt patris spiritualis.

Ex officio autem Patris spiritualis incumbit illi primò munus adhortandi, & monēdi Pœnitentem, Secūdò munus eum disponendi ad contritionem, detestationemve peccatorum suorum, Tertiò munus excitandi ipsum ad eandem detestationem mandan



mandandā executioni, ac instruēdi de ratione qua mandanda est. Quartò munus expēdēdi propōsitum ipsius nō peccandi de cetero, eique prouidēdi de remediis aduersus relapsū in peccatum.

Ex officio porro Medici animarum, incumbit illi primò munus diiudicandi de iis, de quibus pœnitens cōfiteatur, num sint mortalia, an venialia. Secundò munus tranquillandi animum pœnitentis agitatedi scrupulis: aut contra perniciosè vacuum non modò scrupulis, sed etiam Dei timore perterrendo, præsertim inculcatione pœnarum inferni maximarum. Tertiò munus ipsum muniēdi præstidiis, accommodans cōseruandæ laudandæque spiritalis sanitatis.

Et quatenus est Medicus spiritualis.

Ex officio denique Magistri incumbit illi munus erudiendi rudē infidē, informādique ipsam in viā salutis, & dispositionibus ad eam tenendā necessariis in anima, de quē ratione eā tenēdi. Pro qua munerū varietate, ex qua pendet prudentiæ nobis propōsitæ varietas, variis capitibus libitū hunc distinguemus, seruatō ordine, quo Confessarius, in praxi fori pœnitentiæ munera sua exequi consuevit. Primum ergo erit de prudentiā Confessarij in audiēda confessione pœnitētis. Secundū de prudentiā in eodē pœnitente interrogādo. Tertiū de interrogationibus eidem faciēdis à Confessario. Quartum de prudentiā in adhortando, ac monendo Pœnitente. Quintum de prudentiā in eodem disponendo ad contritionem, detestationēve suorum peccatorum. Sextum de prudentiā in excitando illo ad eam ipsam exequendam. Septimum de ratione qua contritio mandanda est executioni. Octauum de prudentiā expēdēdi in Pœnitente, propōsi-



tum non peccandi, de cætero, iuuandique illum aduersus recidiuum. Nonum de prudentia seu ratione iudicandi, an peccata, de quibus pœnitens confitetur, mortalia sint, necne. Decimum & Undecimum, de prudentia in tranquillando eiusdem pœnitentis animum scrupulis agitatum. Duodecimum de prudentia in agendo cum eo ipso Pœnitente, cum deprehenditur sicut scrupulis, ita & Dei timore carere. Decimum tertium de prudentia in illo iuuando remediis, aduersus prauas suas propensiones, & adiuuatis ad progressum faciendum in Dei gratia, & virtutibus. Decimum quartum de prudentia in erudiendo rudi in fide, nec satis sciente viam salutis. Decimum quintum de dispositionibus ad tenendum viam salutis, quibus imbuenda est anima. Decimum sextum de ratione tenendi eandem viam. Decimum septimum de Confessarij iudiciali prudentia in satisfactione Pœnitenti imponenda. Decimum octauum de prudentia in eadem satisfactione taxanda. Decimum nonum de remediorum & satisfactionum varietate, peccatorum varietati accommodanda. Vigefimum de diminutione & mutatione satisfactionis impositæ Pœnitenti, & ab ipso acceptatæ. Vigefimum primū de Confessarij iudiciali prudentia in absoluendo, ac de modo absoluendi, & difficultatibus, quæ in executione talis muneris occurrentes, anxietatem pariunt. Vigefimum secundum de prudentia Confessarij in prouidendo ne id ipsum munus exequatur ad illud non idoneus: cui subiicietur breuis appendix ad antedicta, de ratione illis ipsis vtendi.